

# STUDIA

JOSEPHUS PFAB

## DE INDOLE IURIDICA VOTORUM IN CONGREGATIONE SANCTISSIMI REDEMPTORIS ANTE ANNUM 1749 EMISSORUM

In introductione historica ad Constitutiones et Statuta Congregationis Sanctissimi Redemptoris a Capitulo Generali XVII exarata (1) legitur: « Quare totis viribus [S. Alfonsus] adlaboravit ut Congregatio diffunderetur et consolideretur ope tum voto perseverantiae (1740) tum votorum religiosorum privatorum (1743), et ut ab Ecclesiastica Suprema Auctoritate rite agnosceretur; quod tandem obtinuit cum Summus Pontifex Benedictus XIV, die 25 februarii 1749, tam Institutum quam eius Constitutiones et Regulas sollemniter approbavit, a quo tempore Confratres vota religiosa publica emiserunt ».

Contra textum istum paulo post publicationem facta est interpellatio. Quae-stio nempe orta est, utrum ageretur reapse de votis 'privatis' annon de votis 'publicis'?

Ad solvendam hanc quaestionem historico-iuridicam, dissertandum est:

- I - de evolutione iuridica Congregationum religiosarum in genere;
- II - de Congregatione Sanctissimi Redemptoris;
- III - de conceptu 'votum privatum', 'votum publicum';
- IV - de solutione proponenda.

### I. - *Brevis conspectus de evolutione Congregationum Religiosarum in genere*

1. - Concilium Lateranense IV (2), confirmatum a Concilio Lugdu-nensi II (3), prohibuit, ne quis de cetero novam Religionem inveniat. Post haec Concilia, novum non potuit condi Institutum religiosum

(1) *De origine et incremento CSSR*, in *Constitutiones et Statuta Congregationis SS. Redemptoris a Capitulo Generali XVII exarata*, Romae 1969, 7.

(2) Die 11 novembris 1215, caput XIII; cfr GREGORIUS IX, *Decretalia*, c. 9, X, 3, 36.

(3) Anno 1274. Cfr BONIFACIUS VIII, *Liber sextus*, *De rel. dom.*, l. III, t. 17.

sine auctoritate Apostolicae Sedis, nisi forte assumeretur una ex probatis regulis (4).

2. - Deinde tamen paulatim consuetudo introducta est, qua Episcopo permittebatur approbatio votorum simplicium. Ideoque decursu saeculorum in variis dioecesibus sub auctoritate et cum approbatione Ordinarii loci ortae sunt Congregationes votorum simplicium tam virorum quam mulierum (5), generatim ad instar Ordinum regularium compositae seu organizatae (6). Imprimis a saeculo XVII talia Instituta seu Congregationes votorum simplicium apparent, quamvis antea Pius V repudiavisset tales fundationes (7). Mox tamen toleratae sunt a Sancta Sede (8), quamvis eis denegaretur nomen religionis; atque vota in eis nuncupata non agnoscebantur qua vota religiosa (9); et membra istorum Institutorum non considerabantur qua Religiosi.

Ex. gr. in animadversionibus ad Constitutiones Sororum a Praesentatione B. Mariae Virginis dioecesis Albiensis [Albi], die 25 iulii

(4) A. VERMEERSCH, *De religiosis institutis et personis*, pars I, ed. 2, Romae 1907, 49; A. GAMBARI, *De evolutione historico-juridica Congregationum religiosarum*. Dissertatio ad lauream in utroque jure assequendam apud Pontificium Institutum utriusque juris, Romae 1945, 31 s. Prohibitio renovata est a Julio II die 2 iulii 1556. *Ibid.* 35.

(5) Primordia Congregationum votorum simplicium virorum sunt: Tertiarii viri (imprimis in Germania et Flandria, a saeculo XIII); Canonici S. Georgii in Alga (Venetiarum), qui approbationem obtinuerunt die 29 iunii 1407 a Gregorio XII. *Ibid.*, 48-52. Primordia Congregationum mulierum votorum simplicium sunt: Tertiariae in communi viventes, Canonissae saeculares, Beguinae, Hospitalariae, Oblatae (cfr fusius *ibid.*, 39-48). De Institutis mulierum sine votis sollemnibus seu votis simplicibus agitur *ibid.*, 54-218.

(6) « Etiamsi fideles communicant et *unionem* ineunt ad observanda consilia evangelica, de se tantum utuntur libertate communicandi et se associandi in ordine ad obtainendum finem supernaturalem personalem. Talis unio autem manet privata, non gaudet personalitate morali in Ecclesia; hinc specialia iura in Ecclesia ei non competit, nec, ex altera parte, speciem ligationem iuridicam ad Ecclesiam habet, cuius auctoritate utique subest sicuti singuli fideles ... Approbatione ex parte auctoritatis Ecclesiae fit, ut talis unio *qua unio ecclesiastica particularis* ad vitam Ecclesiae promovendam conferat, quatenus fine suo generico vitam perfectiorem christianam consiliorum in Ecclesia socialiter colit ». W. BERTRAMS, *De publicitate iuridica statuum perfectionis Ecclesiae*, in *Periodica* 47 (1958) 135 s.

(7) Constitutio Apostolica *Circa pastoralis*, 29 V 1566; Constitutio Apostolica *Lubricum vitae*, 17 XI 1568.

(8) GAMBARI, *op. cit.*, 235-245. Vigebat interpretatio benignor. - Pius V conatus est vel suppressione Institutorum votorum simplicium vel ea cogere, ut assumerent vota sollemnia cum omnibus suis consequentiis iuridicis. Deinde vero saltem a saeculo XVIII Ecclesia non tantum nihil fecit, ut Institutum inducat ad vota sollemnia sed illis ipsis, quae ad statum regularem ascendere vellent per vota sollemnia, haec constanter recusat. *Ibid.*, 355.

(9) A.M. LARRONA, *Commentarium in partem secundam libri II Codicis, quae est: De religiosis*, in *Commentarium pro religiosis et missionariis* 1 (1920) 47 ss.; cfr E.F. REGATILLO, *Institutiones iuris canonici*, 4<sup>a</sup> I, Santander 1951, 426; GAMBARI, *op. cit.*, 302 s.

1860 expeditis, ad 14um dicebatur: « Cum agatur de votis simplibus, appellari nequeunt vota religiosa » (10).

Item in animadversionibus ad Constitutiones Sororum Terti Ordinis S. Francesci dioecesis Andegavensis [Angers] die 22 februarii 1897 datis, ad 7um dicitur: « Professio quae a Sororibus votorum simplicium (emittitur) haud proprie loquendo dici potest religiosa » (11).

Aliud exemplum, e quo praxis ecclesiastica illius temporis elucet (12): « Anno 1827 aliqui Presbyteri Dioecesis Sagien. [Séez] in Gallia, approbante Episcopo, quandam erexerunt Congregationem, cuius scopus, seu finis erat Seminariorum directio. Paulo post quidam ex Sodalibus arbitratus est sibi a Deo revelatum esse, Sodales ipsos novi Ordinis religiosi fundamenta constituere debere. Episcopus assensum praebuit ea conditione, ut deinde Regulas, et Constitutiones Apostolicae Sedi subiicerent. Hinc, annuente ipso Episcopo, tria vota perpetua emiserunt cum declaratione quod Episcopus ab emissis votis numquam dispensare possit: nempe 1. castitatis; 2. obedientiae proprio superiori pro tempore; 3. votum adhaésionis religiosae in omnibus rebus divinae voluntati. Distulerunt tamen ad opportunius tempus votum paupertatis. At editis in Gallia decretis, quibus vetabatur committere Seminariorum directionem personis, quae ad quamcumque religiosam Congregationem spectarent, Episcopus licentiam, et approbationem datam revocavit, eosque sibi subjicit, permittens tantummodo, ut vota observare possent, et suis consuetis exercitationibus secreto vacare valerent. At deinde dubium de votorum validitate, et obligationibus huic S.C. propositum fuit. Re ad Consultorem pro voto delata, ipse animadvertebat praefatam Congregationis erectionem nullam, irritamque esse, utpote opposita decreto Concilii Latheranensis: 2 (13), quo prohibetur '*ne quis de caetero novam Religionem inveniat*', ideoque etiam emissa vota nullam coram Ecclesia parere obligationem, sed tantum uti vota privata simplicia habenda esse, si vovens illa absolute emittere intendebat non habito respectu ad Congregationem: si autem illa emisit dumtaxat uti vota Congregationis, esse etiam in foro conscientiae nulla, cum in Instituto a S. Sede minime approbato emissa fuerint. Re igitur perpensa in generali conventu diei 9 ianuarii 1835 cum dubiis: 1. Se da principio i loro

(10) LARRAONA, *art. cit.*, 175.

(11) *Ibid.*, 176.

(12) Decisio causae Sagien., de die 9 I 1835, in A. BIZZARRI, *Collectanea in usum S. Congregationis Episcoporum et Regularium*, Romae 1863, 469 s.

(13) Recte: Concilii Lateranensis IV.

voti siano stati validi? 2. Se valgono ora, che il vescovo ha revocato la sua approvazione? 3. Se loro sia lecito di restare nella detta Congregazione? 4. Se siano a ciò tenuti? E.mi Patres rescriperunt: Ad 1. Negative, cum dispensatione quatenus opus sit. Ad 2., 3. et 4. Provisum in primo ».

3. - Quum vero utilitas Congregationum pro activitate Ecclesiae evidens esset, mox magis ac magis tolerabantur talia Instituta, et quidem primum Instituta virorum maiore favore gaudebant quam Instituta mulierum (14). Deinde, Congregationes sub auctoritate episcoporum creatae, quamvis haesitanter sed continenter numero largiore, approbationem pontificiam obtinuerunt. Certo excluditur semper et absolute, quod Congregationes sint Ordines (Religiones), et illarum alumni proprio ac stricto sensu regulares et religiosi *iuridice* dici possint; sed admittitur non raro in Congregationibus verum statum religiosum *theologice* inveniri et etiam, latiore sensu, ipsas Religiones dici posse, earumque sodales religiosos (15).

4. - Nonnullae Congregationes, preeprimis virorum, iam saeculo XVI et XVII approbationem pontificiam definitivam accipiebant, quod vero pro sodalibus minime agnitionem qua religiosi vel regulares includebat (16).

5. - Primum vigebat separatio strictissima inter Ordines et Congregationes (17). Itaque sodales Congregationum 'saeculares' appellabantur; vox 'regulares' vel 'religiosi' reservata erat Ordinibus. Saeculo autem XVIII et XIX vox 'religiosi' immo etiam vox 'ad instar regularium' per exceptionem, quamvis non officialiter (18), sodalibus Congregationum applicabatur (19).

6. - Demum Leo XIII Constitutione Apostolica « Conditae a Christo », die 8 decembris 1900 edita, declaravit, sodales Congregationum esse veros religiosos. Citata Constitutio Apostolica leonina merito vocatur « Charta Magna Congregationum votorum simplificium » (20). Postea, die 28 iunii 1901, prodierunt « Normae se-

(14) GAMBARI, *op. cit.*, 413-421.

(15) *Ibid.*, 25, 408-489, 498, 510; LARRAOCa, *art. cit.*, 173 s.

(16) *Ibid.*, 49 (cfr etiam notas 10-11); GAMBARI, *op. cit.*, 272 ss., 308 ss.

(17) LARRAONA, *art. cit.*, 135.

(18) Cfr Decisionem S. Congregationis EE. et RR. de die 16 IX 1864 relate ad CSSR latam (cfr P. GASPARRI, *CIC Fontes*, IV, n. 1993). Textus invenitur infra II, 23.

(19) GASPARRI, *op. cit.*, 498 s.; LARRAONA, *art. cit.*, 174 (cfr etiam notas 18-19). V. gr., CSSR ad instar Regularium gaudebat ac gaudet privilegio exemptionis, necnon aliis privilegiis.

(20) ASS 33 (1900) 341-347. Cfr LARRAONA, *art. cit.*, 171; GAMBARI, *op. cit.*, 490, 523.

cundum quas S.C.EE. et RR. procedere solet in approbandis Institutis votorum simplicium » (21).

7. - Disciplina a Leone XIII relate ad Congregationes introducta a Codice Iuris Canonici (1918) est confirmata; immo assimilatio iuridica inter Ordines et Congregationes progrediebatur; quoad disciplinam votorum non habetur discrimin (22), aliquomodo tamen, ab antiquissimis temporibus, in effectibus votorum remansit discrimin notable (23).

8. - Concilium Vaticanum II statum iuridicum atque categorias iuridicas prout existunt quoad Instituta religiosa, non mutavit. Comprehenduntur tamen nomine 'Status Consiliorum evangelicorum' omnia Instituta, quorum sodales iuxta Consilia Evangelii (24) vitam ducunt. Vox 'Status Consiliorum evangelicorum' ergo includit tam Instituta religiosa (Ordines, Congregationes) quam Societates sine votis publicis (can. 673ss.) quam Instituta Saecularia (25). Ceterum categoriae iuridicae non tanguntur a documentis conciliaribus. E contrario dicitur in Constitutione 'Lumen Gentium' (n. 44): « Ecclesia propriam indolem variorum Institutorum religiosorum tuetur et fovet » (26). Hodie singulis Institutis perfectionis competit publicitas iuridica (27), atque in specie incorporatio in tale Institutum (Ordo, Congregatio, Societas sine votis publicis, Institutum Saeculare) est iuris publici (28), quamvis vota in istis diversis Institutis emissa non sint eiusdem qualitatis iuridicae.

## II. - *De Congregatione Sanctissimi Redemptoris*

9. - Congregatio Sanctissimi Redemptoris initium sumpsit die 9 novembris 1732. Notandum, neque vestem peculiarem sodales ea die

(21) Cfr apud T. SCHAEFER, *De religiosis ad normam CIC*, ed. 4, Romae 1947, 1102-1135. Commentarium datur a VERMEEERSCH, *op. cit.*, Supplementum X, (128)-(176).

(22) R. NAZ, *Traité de droit canonique*, III, Paris 1954, 119; A. LARRAONA, *Commentarium Codicis*, in *Comment. pro relig. et mission.* 32 (1953) 53 ss., 173 ss.

(23) NAZ, *op. cit.*, II, 328. Cfr CIC, v. gr., cc. 579-583; 1058 § 2, 1073.

(24) Id est: castitas propter regnum caelorum, paupertas evangelica atque oboediencia religiosa. Cfr *Lumen gentium*, nn. 43, 47 (AAS 57 [1965] 5-75) et *Perfectae caritatis*, nn. 1-15 (AAS 58 [1966] 702-712).

(25) *Ibid.*, *Lumen gentium*, loc. cit.

(26) AAS 57 (1965) 50.

(27) BERTRAMS, *op. cit.*, 140.

(28) *Ibid.*, 163.

induisse, neque vota ulla emisisse, neque certam regulam scriptam pro norma vitae esse amplexos. « Exinde patet, Congregationem... iure merito societas appellabatur sacerdotum *saecularium*. » (29).

10. - Socii ergo S. Alphonsi initio votis sese non obstrinxerunt, neque per octo annos sequentes illum appareret votorum vestigium. Denique S. Alphonsus cum octo sociis in pervigilio festi S. Mariae Magdalena die 21 iulii 1740 emiserunt *votum perseverantiae* in manus Thomae Falcoia, Stabiarum [Castellammare di Stabia] Episcopi et Directoris Congregationis (30).

11. - Episcopus Falcoia die 20 aprilis 1743 e vita decessit. S. Alphonsus, primo e numero Assistentium seu Consultorum, absque mora Congregationem Generalem (Capitulum Generale) in domum Ciorani convocavit, cui collegio tunc ipse Rector praeverat. Congregatio illa Generalis die 6 maii 1743 inaugurata est (31). Post tria scrutinia inefficacia Patres Capitulares consensu unanimi S. Alphonso gubernium Instituti tradiderunt, qui titulum Rectoris Maioris sortitus est, die 9 maii 1743 (32).

12. - Vota in Congregatione Sanctissimi Redemptoris prima vice anno 1743, et quidem occasione Congregationis seu Capituli Generalis die 6 maii in loco Ciorani inaugurate emissa sunt (33). Acta memorati Capituli narrant: « In hac Congregatione omnes Patres et Fratres in manu electi Superioris (34) quattuor vota emiserunt, nimirum Obedientiae, Paupertatis, Castitatis et Perseverantiae in Con-

(29) J. PEJSKA, *Ius sacrum CSSR<sup>2</sup>*, Hranice 1923, 27; M. DE MEULEMEESTER, *Histoire sommaire de la Congrégation du T.S. Rédempteur*, Louvain 1950, 29; *Annotazioni storiche estratte dal Catalogo degli ammessi nella Congregazione del SS. Redentore*, Vol. I: *Dagli inizi al 1846, in Vita nostra, Bollettino di informazioni interne della Provincia Napoletana CSSR*, III (dic. 1970) 82.

(30) *Analecta* 1 (1922) 46, ubi etiam invenitur formula hac occasione adhibita; PEJSKA, *op. cit.*, 27; DE MEULEMEESTER, *op. cit.*, 31; GAMBARI, *op. cit.*, 314 s. In quodam catalogo CSSR affirmatur eosdem sodales eodem die etiam prima vice vota emissa (*Vita nostra* cit., 82-84). Agitur tamen de errore chronologico, qui venit ex operibus Tannoia (GAMBARI, *op. cit.*, 314 s.). Quoad Tannoia, cfr infra notam 117; quoad Falcoia, cfr O. GREGORIO, *Mons. Tommaso Falcoia (1663-1743)*, Roma 1955.

(31) DE MEULEMEESTER, *op. cit.*, 42 s.; PEJSKA, *op. cit.*, 28.

(32) DE MEULEMEESTER, *op. cit.*, 45; PEJSKA, *op. cit.*, 28.

(33) *Analecta* 3 (1924) 30; O. GREGORIO - A. SAMBERS, *Documenti intorno alla regola della Congregazione del SS. Redentore 1725-1749* (Bibliotheca historica CSSR, IV) Roma 1969, 280; PEJSKA, *op. cit.*, 27; P. BERNARDS, *Prolegomena für die Beurteilung der ältesten Handschriften zur Entwicklung unserer Ordensregel bis zur päpstlichen Bestätigung im Jahre 1749*, in *Spic. hist.* 14 (1966) 311; DE MEULEMEESTER, *op. cit.*, 45; GAMBARI, *op. cit.*, 360.

(34) S. Alfonsi M. de Liguori.

gregatione. P. Rector Maior (34) iam electus etiam ipse haec vota emisit in manum Capituli » (35).

Illum eventum primae professionis testantur deinde in depositionibus de fundatione Congregationis Sanctissimi Redemptoris varii sodales eiusdem Congregationis, contemporanei S. Alphonsi plane:

Depositiones Pl. R.P. Andreae *Villani* (natus anno 1706): « Cum autem progressu temporis ille alias fundaret Domos in pluribus Regni locis, cumque ipse eiusque socii vitam illam ducerent sanctam, austeraam, contemplativam, devotam et paenitentem, eo modo quem in hac mea depositione indicavi, Servus Dei [id est S. Alfonsum] observandas Regulas, quas primum voce tradiderat, scripto deinde mandavit, et inter alia decrevit ut a Sodalibus Instituti nuncuparentur tria vota simplicia Paupertatis, Castitatis et Obedientiae. Et postquam nos ejus Socii ferventes ad Deum preces communiter effunderamus et privatim, consilio etiam exquisito super hoc Servi Dei Episcopi Falcoja, ad actum tandem devenimus nuncupandi praedicta vota: quod contingit anno 1742, etsi ob diurnitatem elapsi temporis diem praecisum non recordor » (36).

Depositiones Pl. R. Patris Joannis *Mazzini* (natus anno 1704): « Deinde autem in pago Ciorani constitutum est ut a Nostris vota fierent simplicia paupertatis, castitatis et obedientiae ac perseverantiae in Congregatione usque ad mortem; ut extra Institutum officia nulla admitterentur, utque ad Missiones iretur Infidelium si id Summus Pontifex et Rector Major ipsius Congregationis praeciperent » (37).

Depositio Fratris laici Leonardi *Chichetti* (natus anno 1725): « Pro certo scio et a testibus fide dignis comperi Ven. Servum Dei cum sociis suis tribus votis simplicibus paupertatis, castitatis atque obedientiae se obstrinxisse additis ad ea tribus aliis, nempe non acceptandi extra Congregationem quamcumque dignitatem, nisi forte data a Summo Pontifice vel a Rectore Majore in tempore dispensatione, perseverandi usque ad mortem in Congregatione atque, si Summus Pontifex vel Rector Maior id iussisset, in missiones ad infideles eundi » (38).

Depositio Adm. Rev. P. Laurentii *Nigro* (natus anno 1731): « Ven. Servus Dei eiusque socii praeter preces ad Deum factas con-

(35) PEJSKA, *op. cit.*, 28; DE MEULEMEESTER, *op. cit.*, 45.

(36) *Analecta* 3 (1924) 34. In nota dicitur agi de anno 1743. - In textu citato episcopus Falcoja vocatur *Servus Dei*, iuxta usum illius temporis; tamen numquam introducta est causa beatificationis. Cfr O. GREGORIO, *op. cit.*, 337.

(37) *Analecta* cit., 30.

(38) *Ibid.*, 67.

siliis cum Episcopo Falcoja communicatis tribus votis simplicibus se obstrinxerunt » (39).

Depositio Adm. R.P. Deodati *Criscuoli* (natus anno 1738): « Cum prudenti consilio Episcopi Falcoja et concordi primorum sociorum consensu anno 1742 Servus Dei non tantum tribus usitatis simplicibus votis... » (40).

13. - Anno 1735 Archiepiscopus Salernitanus sodalibus fundationem in Terra Juranorum (Ciorani) concessit: « unam Aedem... cum propria Ecclesia, in qua Deo laudes persolvere ac propria Statuta a Nobis revisa et approbata adimplere tranquillo famulatu possitis»(41). Illa Statuta, a memorato Ordinario Salernitano revisa et approbata, non loquuntur de votis. S. Alphonsus demum sine auctoritatis interventu in propria familia votum perseverantiae et postea tria vota introduxit. Denique tardius nempe « anno 1749 vota sodalium huius Congregationis (C.S.S.R.) coeperunt fundari in auctoritate pontificia loco auctoritatis privatae ipsius Instituti » (42).

14. - Quoad naturam Congregationis Sanctissimi Redemptoris constat (43): « Intentio S. Alphonsi erat creare congregationem saecularem vel presbyterum saecularium et hoc petit a Romano Pontifice in supplici libello anni 1748: "Che la suddetta lor compagnia si erigge e stabilisca in congregazione di preti secolari". Ad auferendum timorem contrarii, S. Alphonsus evitabat ea quae poterant in mentem evocare statum religiosum; D. Josepho Mazzini anno 1747, relate ad regulas Regi oblatas, scribit: "Notate che si è pensato di mettere giuramento, non voto di perseveranza, per togliere l'apprensione che si è presa di voler fare religione...". Approbatio C.S.S.R. ... tamquam effectum habuit dandi characterem iuridicum congregationis ecclesiasticae et veluti characterem publicum alicuius entis ecclesiastici et Pontificii, cum omnibus juribus consequentibus... In charactere saeculari proprii instituti semper insistit S. Alphonsus etiam post Pontificis approbationem evitando terminologiam quae

(39) *Ibid.*, 165.

(40) *Ibid.*, 170.

(41) Diploma, in quo hoc affirmatur, exstat in Archivo Generali CSSR, XVIII, A, 1 bis.

(42) GAMBARI, *op. cit.*, 366; cfr etiam 361.

(43) *Ibid.*, 377-379, 395. Cum ageretur de Congregatione non regulari, sodales, qui non uti regulares seu religiosi considerabantur, iisdem normis ac aliis clericis saeculares submittebantur: e. gr., nempe possidere debebant pro ordinatione titulum beneficii, vel matrimonii et dimissoriarum accipere a proprio episcopo. *Constitutiones et Regulae Congregationis sacerdotum sub titulo SS. Redemptoris*, Romae 1936, 15. Cfr notam 65.

innuere posset religiosum characterem, v. gr. emissio votorum vocatur "oblazione" » (44).

15. - Non est locus hic fuse tractandi de primis textibus Regulae seu Constitutionum Congregationis Sanctissimi Redemptoris, nec de historia fundationis in particulari (45). Tamen animadvertisendum est in primis textibus nobis notis, praeprimis in sic dicto « Compendio » (ante mensem martium anni 1743 compilatum) nullum verbum fieri de votis in Congregatione Sanctissimi Redemptoris emittendis (46).

16. - Mentio votorum prima vice fit in textu, qui vocatur « Règole di Conza » (anno 1747/48). Ibi sic dicitur (47): « Dopo un anno di noviziato, di nuovo fatta la consulta e relazione al Rettore Maggiore e premessi 15 giorni d'esercizij, faranno l'oblazione ed in questa faranno in mano de' superiori *pro tempore* i voti di povertà (a cui sta annesso il voto di rinunziare a beneficj). In riguardo alle dignità ecclesiastiche i soggetti dell'Istituto non solo non possono richiederle, né procurarle direttamente né indirettamente, ma debbono resistere e renunziarle, sempreché non siano astretti con prezzo formale d'obbedienza o dal Sommo Pontefice o dal Rettore Maggiore, e di questo i soggetti nell'oblazione ne faranno voto particolare, come anche di non ricercare dentro l'istessa Congregazione officio o preeminenza. Da più il voto di castità o obbedienza, a cui sta annesso anche il voto di andare alle missioni degli infedeli, quando saranno mandati o dal Sommo Pontefice o dal Rettore Maggiore. Ma questo si fa dopo i trentatré anni con particolar ritiro. E dappiù faranno il giuramento di perseveranza. A tutti questi voti e giuramenti potrà dispensare solamente il Rettore Maggiore, quando conoscerà necessaria o ragionevole la dispensa. I Fratelli laici anche faranno tutti i suddetti voti, ma dopo tre anni, cioè nel primo anno che staranno da secolari, negl'altri due che durerà il loro noviziato, colle vesti della Congregazione ».

17. - Deinde de voto paupertatis sermo est in sic dicto « Intento e Ristretto » (48). Item de voto non acceptandi dignitates (49). De

(44) *Constitutiones et Regulae approbatae, ibid.*, 31. - Animadvertisendum tamen est, quod vox « *oblatio* », sumpta e liturgia, etiam apud Regulares (v. gr. Theatinos, Fratres Minorum) eo tempore in usu erat in sensu emissionis votorum.

(45) Ad rem, cfr lucidas dissertationes: BERNARDS in *Spic. hist.* 14 (1966) 295-337; GREGORIO-SAMPERS, *op. cit.*, 271-438; PEJSKA, *op. cit.*, 26-29.

(46) BERNARDS, *art. cit.*, 311; GREGORIO-SAMPERS, *op. cit.*, 280.

(47) *Ibid.*, 381 s.

(48) Anno 1748. BERNARDS, *art. cit.*, 315-318; GREGORIO-SAMPERS, *op. cit.*, 390 s.

(49) *Ibid.*, 396.

isto voto agitur etiam in, ut aiunt, « Breve Ristretto » (50). Demum in « Regola Approvata » (tum in manuscripto tum in prima editione typis impressa anni 1749) habetur Pars II, Capitulum I « De' Voti di Povertà, Castità, Obbedienza e Perseveranza » (51).

18. - Ab illo tempore, tam in Actis Capitulorum Generalium quam in textu Constitutionum et Regularum sermo est de « votis » (52) aut de « voti comuni » (53) aut de « votis simplicibus » (54); numquam, illis temporibus, invenitur vox « vota religiosa ». Attamen sermo est de « Formula professionis religiosae » (55).

19. - Textus primae formulae professionis silet — quod mirum est — de voto castitatis (56). Expresse sermo est dumtaxat de votis paupertatis, obedientiae, non acceptandi dignitates, transmigrandi in terras missionum atque de iuramento perseverantiae. Ratio, cur vo-

(50) Anno 1748. BERNARDS, *art. cit.*, 315-318; GREGORIO-SAMPERS, *op. cit.*, 396.

(51) *Ibid.*, 416-421, 435.

(52) In *Acta Capituli generalis* 1749 legitur: « Omnes Congregati professi acceptaverunt Regulam, a S. Sede approbatam, et iuxta eius tenorem renovaverunt vota castitatis, paupertatis et obedientiae, ac votum et juramentum perseverantiae in Congregatione ». *Acta integra Capitulorum generalium Congregationis SS. Redemptoris ab anno 1749 usque ad annum 1894 celebratorum*, Romae 1899, 4. In Catalogo I (cfr notam 29) legitur: « 1749 - Accettazione della Regola. A' 15 ottobre dello stesso anno 1749, radunato nella casa di Ciorani il Capitolo generale di tutti i soggetti della Congregazione, i quali avevano già fatta la loro oblazione, fu da tutti unanimemente accettata la Regola; il nostro Padre (fu) concordemente eletto e confermato di nuovo dalla voce di tutti perpetuo Rettore Maggiore, e furono da tutti rinnovati nelle sue mani i tre voti di povertà, castità e obbedienza col voto e giuramento di perpetua perseveranza » (in *Vita nostra cit.*, 85). Constitutiones anni 1764 statuunt (n. 1228): « Spiegherà le Regole e Costituzioni e specialmente le obbligazioni non meno di queste, che dei voti fatti o da farsi ». *Codex Regularum et Constitutionum*, p. 440.

(53) Constitutiones anni 1764 (n. 939) determinabant: « Un mese prima che giunga il tempo dell'oblazione, è obbligo del maestro lo sminuzzare a ciascheduno con un modo speciale ciò che importano i voti comuni e il giuramento » (*Codex Regularum*, p. 355). Idem textus acceptabatur a Capitulo generali anni 1855 (*Codex Regularum*, p. 587).

(54) E Congregatione generali 17 X 1747: « In oblatione, que a sacerdotibus fieri uno novitiatus anno exacto, et a fratribus laicis exactis duobus annis, unusquisque praeter vota simplicia castitatis, paupertatis atque obedientiae in forma praescripta iure iurando se debent obstringere perseverantiae, et cum ad aetatis annum 33 pervenerit, totum se Domino et Congregationi consecrare debet voto eundi in Missiones, quocumque missi fuerint a superioribus legitimis, etiam ad haereticos et infideles, si ad has missi fuerint a Summo Pontifice. Et hoc iuriurandum etiam fratres laici dare debent, uti dictum est in Regulis » (*Analecta 1* [1922] 133). Textus Constitutionum anni 1764: « facendo i voti semplici di castità, povertà ed ubbidienza, col voto e giuramento di perseveranza a beneficio della Congregazione accettante » (*Codex Regularum*, p. 344). Textus Constitutionum anni 1855: « ad oblationem admittentur nuncupando vota simplicia castitatis, paupertatis et obedientiae, cum voto et iuramento perseverantiae » (*Acta integra*, p. 429).

(55) Textus Constitutionum anni 1855: « Formula professionis religiosae ». *Ibid.*, p. 594.

(56) *Analecta 1* (1922) 48. Ibi invenitur etiam exemplar *fac-simile* huius formulae.

tum castitatis omissum fuit, non patet (57). In omnibus aliis textibus, qui de votis agunt, etiam votum castitatis expresse memoratur (58).

20. - Litteris precum mense martio anni 1748 Benedicto XIV oblati, Summus Pontifex interpellatur, « ut dare dignetur apostolicum suum assensum ad erigendum et constituendum praefatum coetum in Congregationem sacerdotum saecularium sub titulo Ss. Salvatoris, Ordinariorum locorum iurisdictioni subjectam, ad instar Congregationum presbyterorum Missionis et Piorum Operariorum » (59). Hoc correspondet cum iis, quae iam in Congregatione seu in Capitulo Generali diei 6 maii 1743 fuerunt decisa (60): « II. Non erit Religio, sed Congregatio sacerdotum instar Patrum Missionis (et Piorum Operariorum). Sed cum eo discrimine, quod Patres minimae nostrae Congregationis potissimum operam debent impendere in adiumentum spirituale gentium ruri habitantium, et ideo semper extra civitates et in mediis dioecesibus habitare debebunt ».

21. - Congregationes, quarum S. Alphonsus in libello supplici Apostolicae Sedi porrecto mentionem facit, eo tempore ad clerum saecularem connummerabantur.

Sacerdotes Congregationis Missionum seu *Lazaristae*, a S. Vincentio de Paulo († 1660) suscitati, adhuc hodie sunt sacerdotes non-religiosi seu saeculares in communi viventes, atque Congregatio Mis-

(57) Forsitan ratio est, quum ageretur de sacerdotibus saecularibus, qui iam eo ipso obligati erant ad caelibatum? Nam obligatio ad caelibatum cum ordinibus maioribus connexa eo tempore considerabatur eo ipso qua votum (sollemne). Cfr S. ALFONSUS, *Theologia moralis*, III 195 ad 2<sup>um</sup>; BERTRAMS, *op. cit.*, 144. Tamen tale argumentum non servit pro fratribus laicis (sed videtur non fuisse frater laicus inter illos, qui iuxta hanc formulam vota emiserunt). Scire dignum est, quod item in initio in Congregatione Montfortanorum, a S. Ludovico Maria Grignon de Montfort fundata (anno 1705), non emittebatur votum castitatis. GAMBARI, *op. cit.*, 360.

(58) BERNARDS, *art. cit.*, 311; PEJSKA, *op. cit.*, 28; GREGORIO-SAMPERS, *op. cit.*, 381, 416-421; A. SAMPERS, *Constitutiones Capituli generalis celebrati in Scifelli*, an. 1785, in *Spic. hist.* 18 (1970) 264-279.

(59) PEJSKA, *op. cit.*, 43 s.; GAMBARI, *op. cit.*, 347. In *Vita nostra* cit. de hac re sic legitur, p. 84: « 1749. Approvazione della Regola ed Istituto. - A' 25 febbraio dell'anno 1749, il Sommo Pontefice Benedetto XIV nostro insigne benefattore, correndo l'anno nono del suo pontificato, e di Carlo Borbone Infante della Spagna [e] Re delle Due Sicilie l'anno XV del suo regno, si degnò approvare la nostra Regola ed Istituto. Il nostro Padre, *motu proprio* dello stesso Pontefice, fu confermato Rettore Maggiore. La Congregazione dal titolo del SS. Salvatore passò sotto quello del SS. Redentore; il voto da farsi dai soggetti nell'anno trentesimo terzo di loro età di andare alle Missioni degli infedeli, quando così fosse stato imposto dal Sommo Pontefice o Rettore Maggiore, fu come superfluo, abolito e tolto ». *Catalogo I*, 8. Cfr notas 29-30.

(60) *Analecta* 1 (1922) 138.

sionum (fundata anno 1625) inter « Societates in communi viventium sine votis (publicis) » (61) enumeratur (62).

*Pii Operarii* vero (fundati anno 1600) approbationem pontificiam obtinuerunt anno 1621 a Gregorio XV qua Congregatio sine ipsis votis (63), sed anno 1943 sese unierunt cum Congregatione Catechistarum Ruralium (fundata anno 1928). Institutum sic creatum hodie sub nomine « Congregatio Piorum Operariorum Catechistarum Ruralium » inter Congregationes religiosas, eodem sensu et statu iuridico ac Congregatio Sanctissimi Redemptoris, cooptatum est (64).

22. - Quodam tempore, inter aliquos primorum sodalium Congregationis Sanctissimi Redemptoris, quaedam mens seu inclinatio adfuisse videtur, novum Institutum in Ordinem cum votis sollemnibus esse erigendum. Hoc patet v. gr. ex litteris ab Ex.mo Thoma Falcoja ad S. Alphonsum die 5 septembbris 1732 missis, ubi dicitur (65): « Il punto si era, che non poteva lui ordinarsi a titolo di Povertà, perché non si potrà, sin a tanto non si faccian i voti solenni ». Idem adhuc clarius patet e litteris, a P. Sarnelli mense julio 1733 scriptis, ubi autem simul fortiter affirmatur novum Institutum nullo modo in Religionem (i.e. Ordinem) erecturum iri. En, textus Patris Sarnelli (66): « Tre cose hanno fatto impressione in Napoli per le quali è decaduto dal buon concetto l'Istituto: 1° Le Rivelazioni, e spesso si ode, Rivelazioni e Monache, Monache e Rivelazioni. 2° il vestire Rosso. 3° che volete fare la Religione. Io però sempre prescindo da tutte queste cose e li chiudo la bocca con dire, che noi siamo una Congregazione di Sacerdoti Operarij, che andiamo aiutando le Anime di quei poveri Paesi più abbandonati, e procuriamo di far conoscere Iddio da chi non lo conosce ».

(61) Cfr CIC, cann. 673-681; H. ROTHOFF, *Le droit des sociétés sans voeux*, Brügge 1949.

(62) *Annuario Pontificio* 1971, 911. Urbanus VIII anno 1632 concessit approbationem Instituti, Clemens X vero anno 1640 approbationem Constitutionum. S. Vincentius introduxit vota; expresse tamen noluit statum religiosum, sed petit declarationem quod Institutum maneret in statu saeculari. Quam declarationem Alexander VII anno 1655 concessit. GAMBARI, *op. cit.*, 280-288.

(63) *Ibid.*, 272-274.

(64) *Annuario Pontificio* 1971, 889.

(65) T. FALCOIA, *Lettere a S. Alfonso de Liguori, Ripa, Sportelli, Crostarosa*. Testo critico, introduzione e note a cura di O. GREGORIO, Roma 1963, p. 107, n. 37. Cfr etiam *Analecta* 6 (1927) 236, n. 2. Ratio, cur idea de votis sollemnibus orta est, in hoc consistit, quod Regulares tantummodo titulo mensae communis ordinari potuerunt, dum omnes alii titulo patrimonii ordines recipere debuissent. Hoc etiam a lege civili ita exigebatur. Cfr notam 43.

(66) Cfr *Analecta* 6 (1927) 110 s.

23. - Congregatio Sanctissimi Redemptoris inter primas Congregationes erat, quae statim approbationem pontificiam definitivam obtinuerunt (67). Quamvis Congregatio Sanctissimi Redemptoris interdum « ad instar regularium » tractaretur (68), realis ac verus status iuridicus memoratae Congregationis tamen in lucem ponitur per decisionem sequentem Apostolicae Sedis (69): « In generali conventu die 16 sept. 1864, hoc dubium discussum fuit apud S.C. Episc. et Reg., a Superiori Generali Congregationis S.mi Redemptoris propositum “Se e come convenga dichiarare che la Congregazione de' Preti Secolari N.N. goda la qualifica di vera Regolare, o almeno le si debba accordare per grazia nel caso”. Post accuratam causae disceptationem S.C. respondit: “Ad primam partem non esse vere regularem, ad secundam partem non expedire” ».

24. - Sodales Congregationis Sanctissimi Redemptoris, quamvis ergo vota eorum post approbationem pontificiam « nomine Ecclesiae » acciperentur, remanebant in statu « presbyterorum cleri saecularis » (70). Ideoque non erant regulares, non erant religiosi in sensu iuridico (quamvis in sensu theologico) (71), eorumque vota non erant sollemnia neque publica (72). Nam « alia publica vota nisi sollemnia non admittebantur, scilicet non aliis status religiosus verus ac iuridicus agnoscebatur nisi *regularis* in Ordinibus votorum sollemnium. Postea in admissione graduali Congregationum ad ius publicum... vota in ipsis emissis, quin ut publica agnoscerentur, aliquatenus recognita sunt. In Codice completa fuit distinctio inter votum sollempne ac votum publicum, et quoad effectum status veri religiosi inducendi, omnino fuerunt aequiparata vota sollemnia et vota simplicia, quae non minus publica ac sollemnia esse iam possunt » (73).

(67) LARRAONA, *art. cit.*, in *Comment. pro relig. et mission.* 1 (1920) 174; GAMBARI, *op. cit.*, 350 s.

(68) *Ibid.*, 514; cfr supra notam 19.

(69) LARRAONA, *art. cit.*, 175; GASPARRI, *op. cit.*, IV, n. 1993.

(70) ROTHOFF, *op. cit.*, 48. Cfr decretum pontificium *Presbyterorum saecularium diei 2 VII 1841*, in *Acta integra*, pp. 301-303.

(71) S. ALFONSUS, *Theologia moralis*, IV, 1 ad 1<sup>um</sup>; GAMBARI, *op. cit.*, 25, 29, 262; LARRAONA, *art. cit.*, 45; GASPARRI, *op. cit.*, II, n. 222.

(72) Quoad vota publica cfr infra III.

(73) LARRAONA, *art. cit.*, in *Comment. pro relig. et mission.* 2 (1921) 207. Cfr etiam ROTHOFF, *op. cit.*, 48. Aliter tamen T. MOTTA, *De natura votorum in Tertio Ordine Carmelitarum emissorum*, in *Comment. pro relig. et mission.* 38 (1959) 269 s.

### III. - *De conceptu « votum privatum » - « votum publicum »*

25. - Natura voti cuiuslibet bene exprimitur a definitione contenta in CIC can. 1307 §1: « Promissio deliberata Deo facta de bono possibili et meliori »; condensatur sic doctrina S. Thomae Aquinatis (74).

26. - In legislatione canonica hodierna talis definitio datur: « Votum est *publicum*, si nomine Ecclesiae a legitimo Superiore ecclesiastico acceptatur; secus *privatum* » (CIC can. 1308 §1). Ad hanc paragraphum canonis citati non dantur fontes in editione typica CIC. Ex hoc patet, agi de definitione, quae qua talis in iure praecedenti non habebatur.

27. - In citato canone (§§2-4) tunc enumerantur ceterae distinctiones seu divisiones, quae in iure canonico vigenti adhiberi solent; nempe: sollemne-simplex (§2), reservatum (§3), personale-reale-mixtum (§4). Ad quas paragraphos etiam fontes ex iure antiquo indicantur.

28. - Distinctiones seu divisiones votorum, quae ante CIC per saecula in usu erant, optime inveniuntur apud S. Alphonsum in sua « *Theologia Morali* » (75), nempe: votum absolutum-condicionatum, votum sollemne-simplex, votum reale-personale-mixtum. Non loquitur de distinctione seu divisione in votum *publicum* et *privatum*, quum eam iam inclusam esse considereretur in ceteris distinctionibus seu divisionibus (76). Affert enim ad rem S. Thomas Aquinas: Votum publicum per se est sollempne; votum publicum per accidens non est sollempne, sed non differt a privato (77).

29. - Pondus considerationis — si quaeritur de indole votorum earum personarum, quae in sic dicto « statu perfectionis » vivunt seu vota de « consiliis evangelicis » emittunt — tempore de quo agitur apud conceptum « sollemne-simplex » erat. Scribit ad rem S. Alphonsus: « Dividitur votum in *solemne* et *simplex*. Illud est

(74) *Sum. theologica*, II-II, q. 88, a. 5, corp. et ad 2; GAMBARI, *op. cit.*, 9.

(75) S. ALFONSUS, *Theologia moralis*, III, 195.

(76) GAMBARI, *op. cit.*, 304. F.L. FERRARIS, *Prompta bibliotheca canonica, iuridica, moralis, theologica*, Parisiis 1858, VII, 1311-1400; VIII, 558-562; nihil invenitur de distinctione seu divisione votum *publicum-privatum*. Idem dicendum est de J. D'ANNIBALE, *Summa theologiae moralis*, pars III, Mediolani 1883, nn. 514-535, ubi de voto agitur. Item valet de VERMEERSCH, *op. cit.* Gury-Ballerini habent tantum distinctiones seu divisiones sequentes: votum *solemne-simplex*, *personale-reale*, *temperarium-perpetuum*; minime vero *publicum-privatum*. J.P. GURY, *Compendium theologiae moralis*, cura A. BALLERINI, "Romae-Taurini 1866, I, n. 319.

(77) S. THOMAS, *In IV Sent.*, d. 38, q. 2, a. 1, sol. 2.

quod ut tale acceptatur ab Ecclesia; et sunt haec duo: votum castitatis, quod majoribus ordinibus annexum est; et votum professionis religiosae. Simplex autem votum est omne aliud, quod talem solemnitatem non habet » (78).

30. - Usus emittendi vota de consiliis evangelicis iam primis saeculis Ecclesiae vigebat (79).

Perantiqua plane est distinctio inter vota sollemnia et vota simplicia. Prostant documenta, e quibus deduci potest, iam saeculo IV non omnia vota eosdem effectus parere (80). Certe haec distinctio est communis saeculo XII (81). E determinatione Bonifacii VIII (1294-1303) quod vota fiant sollemnia tantum per susceptionem ordinis sacri et professionis in religione ab Apostolica Sede approbata, coeperunt considerari religiones approbatae ab Apostolica Sede tamquam inseparabiles a votis sollemnibus. Eo ipso quod aderat religio approbata, vota in ea emitenda sollemnia erant. Quia sine approbatione non amplius possibilis erat aliqua religio, tunc vota sollemnia tamquam elementum essentiale constitutivum cuiuslibet religionis iudicata sunt, unde orta est doctrina quod sine sollemnitate votorum non concipitur status religiosus. Talis doctrina communis fuit saltem usque ad Gregorium XIII (1572-1586) (82).

31. - Deinde Gregorius XIII affirmabat voti sollemnitatem sola Ecclesiae constitutione inventam esse. Ideo sollemnitas voti non amplius poterat identificari cum essentia status religiosi (83).

Quoad rationem simplicitatis et sollemnitatis non est dubium, quin coram Deo eadem obligatio adsit; effectus tamen, de iure positivo, sunt diversi; quapropter sollemnitas in hoc consistit, quod Ecclesiae auctoritate statutum est (84).

32. - Votum publicum supponit interventum Ecclesiae. Elementa sunt: emissio e parte voventis atque acceptatio e parte Ecclesiae mediante persona ad id deputata. Nomine Ecclesiae agere potest Ro-

(78) S. ALFONSUS, *op. cit.*, III, 195 ad 2<sup>um</sup>; FERRARIS, *loc. cit.*

(79) Diversimode apud ascetas, virgines, eremitas, monachos. GAMBARI, *op. cit.*, 10.

(80) Distinctio illa adest in Epistola X S. Siricii (384-399) ad episcopos Galliae, ac in Epistola S. Innocentii I (401-417) ad Victricum.

(81) S. GOYENECHE, *De votis simplicibus in fontibus et in doctrina in ordine ad statum religiosum constituendum*, in *Acta congressus iuridici internationalis*, Romae 1937, IV, 303.

(82) GAMBARI, *op. cit.*, 17 s.

(83) *Ibid.*, 269.

(84) *Ibid.*, 13-17.

manus Pontifex universaliter, Episcopus vero pro portione societatis fidelium, cui praeest (85). Episcopus hoc in casu, dummodo sit Ordinarius loci (86), nomine Ecclesiae agit et vota qua publica declarare potest (87).

Cum vero legitima auctoritas tam pontifica quam dioecesana votis characterem publicum assignare queat, Creusen loquitur de votis publicis dioecesanis et de votis publicis pontificis, quae vota tamen minime eo ipso sunt vota religiosa; ac bene distinguenda sunt a votis religiosis, cum ea semper sint publica (88).

In approbatione Instituti denique « documenta loquuntur quandoque de votis publicis (v. gr. Bulla « Supremi Apostolatus » qua Clemens XIV approbat Congregationem Ss. Crucis et Passionis D.N. Jesu Christi) (89); sed intelligenda videntur de publicitate in sensu materiali, i.e. publice et notorie declarata » (90). Etsi immo documentum illud stricto sensu iuridico intellegatur, respondendum est: Utique, vota simplicia Congregationis Ss. Crucis et Passionis sunt publica, quum id expresse inBulla approbationis affirmetur; ubi vero talis affirmatio in actu approbationis deest, ibi vigebat lex universalis, nempe: vota simplicia in Congregationibus emissa non sunt publica.

Animadvertisendum tandem est: « Publica nuncupatio non designat caeremonias externas nuncupationis, sed ipsam naturam iuridicam votorum » (91). Fusius hoc explanatur a Naz (92): « Ce qui lui donne son caractère public, ce n'est pas la publicité dont a été entourée son émission, c'est son acceptation officielle par l'autorité ecclésiastique, qualifiée à cet effet au for externe. Est dit privé tout voeu qui ne comporte pas cette intervention ». Emissio ergo voto-

(85) *Ibid.*, 19-23.

(86) Hoc patet etiam ex eo, quod S. Alfonsus affirmit: « Religiosi non sunt qui, edito voto perpetuae paupertatis et castitatis, obedientiam vovent confessario aut episcopo. Ratio, quia tali voto non subjiciuntur jurisdictioni spirituali, quae a Deo, medio ejus Vicario, provenire debet ». *Op. cit.*, IV, 1 ad 3<sup>um</sup>. - Etiam hodie « non quilibet potest vota acceptare nomine Ecclesiae; non quaelibet persona publica, non quilibet superior ecclesiasticus ». A. GUTIÉRREZ, *De natura voti publici et voti privati, status publici et status privati perfectio-nis*, in *Comment. pro relig. et mission.* 38 (1959) 291.

(87) Exercitium huius facultatis aliquomodo in desuetudinem venerat. *Ibid.*, 293.

(88) J. CREUSEN, *Sociétés religieuses*, in *Ephemerides theologicae lovanienses* 11 (1934) 781.

(89) Die 16 XII 1769 concedebatur superioribus dictae Congregationis facultas acceptandi laicos et clericos « eosdem, statuto approbationis tempore exacto ad publicam dictorum quattuor votorum simplicium nuncupationem ... admittere ». GAMBARI, *op. cit.*, 370.

(90) GUTIÉRREZ, *art. cit.*, 285, nota 14.

(91) GAMBARI, *loc. cit.*

rum in publicitate et cum sollemnitate externa nullo modo est criterium pro charactere iuridico votorum.

33. - Quoad iuridicum characterem vel publicum vel privatum votorum sententia auctorum non est unanimis. In doctrina iuridica quaedam evolutio observari potest: Unanimiter ac pacifice affirmatur *vota solennia* semper et omni tempore agnita esse qua vota publica. Item unanimi atque pacifica sententia docetur *vota simplicia* post Constitutionem Apostolicam « Conditae a Christo » habere eo ipso characterem publicum.

Relate ad characterem *votorum simplicium* ante supramemoratam Constitutionem Apostolicam Leonis XIII deest legislatio universalis et praecisa, necnon iurisprudentia aliquomodo dissonat in interpretatione. Habentur paeprimis *tres sententiae*, quae inter se cohaerent et quandam evolutionem in aestimatione characteris votorum simplicium demonstrant:

34. - *Sententia prima*: Tantummodo vota religiosa (atque votum castitatis, quod majoribus ordinibus annexum est) sunt publica. Non autem habentur vota religiosa nisi solennia; ergo vota solennia tantum sunt publica. Vota simplicia vero non sunt vota religiosa, ideoque vota simplicia non sunt publica, sed privata dumtaxat (93). Talis explicatio invenitur apud Wernz (94), apud Larraona necnon refertur a Gutiérrez (95), a Gambari, a Tabera (96), atque a Bertrams.

Dicit Bertrams (97): « Verum est in ordinatione canonica vota

(92) NAZ, *op. cit.*, III, 119; cfr. LARRAONA, *art. cit.*, in *Comment. pro relig. et mission.* 32 (1953), 53, 173-176; GUTIÉRREZ, *art. cit.*, 281.

(93) Vota simplicia in Societate Jesu emissa sunt quidem publica, sed agitur (iuxta hanc sententiam) de privilegio omnino exceptionali (LARRAONA, *art. cit.*, in *Comment. pro relig. ed mission.* 1 [1920] 45, 177; S. ALFONSUS, *Theologia moralis*, IV, 1 ad 1). Attamen non deerant voces, quae — ante Bullas Gregorii XIII (cfr. infra notam 101) — negarent Jesuitas cum votis simplicibus esse religiosos (E. OLIVARES, *Los votos de los escolares de la Compañía de Jesús; su evolución jurídica*, Roma 1961, 195). Ad respuendam talem opinionem habebatur illo tempore theoria, ut vota ex parte voventium essent solennia (OLIVARES, *op. cit.*, 82-84). Ceterum vero ab OLIVARES (p. 199) asseritur Jesuitas post Bullas Gregorii XIII quidem agnitos fuisse qua religiosos, vota autem eorum simplicia, quod attinet qualitatem iuridicam, fuisse non publica etsi non mere privata, sed ab Ecclesia recognita. Cfr infra notas 101, 120 et 122.

(94) F. X. WERNZ, *Ius Decretalium*, Romae 1908, <sup>2</sup>III, n. 572, III, b.

(95) GUTIÉRREZ, *art. cit.*, 284.

(96) « Nel diritto odierno la pubblicità dei voti non ne implica la solennità, come accadeva nel diritto antecedente; allora, solamente le Religioni nelle quali si emettevano voti solenni erano propriamente Religiosi. Attualmente i voti pubblici possono essere solenni o semplici, senza per questo incidere sul concetto di Religione ». A. TABERA, *Il diritto dei religiosi*, Roma 1961, 21.

(97) BERTRAMS, *op. cit.*, 144 s

publica haberi tantum vota religiosorum (et votum ordinibus sacrum adnexum)... Vota simplicia per saecula tamquam vota publica et religiosa non recognoscabantur ». Iuxta Gambari (98), saeculo XVII et XVIII nondum concipiebatur religiosus, qui non esset regularis, vel « verus religiosus et regularis » non concipiebatur sine votis sollemnibus. Hac periodo terminologia in usu circa vota immutata manet; praeter votum sollempne et simplex non adest alius terminus. Larraona (99) dicit: Vota simplicia in iure antiquo « ex regula salvoque privilegio prius, salvisque postea legibus particularibus et etiam admissis sensim sine sensu practicis aequiparationibus, erant vota stricto sensu privata ». Concordat cum ista interpretatione praxis Romanae Curiae (100).

Quod attinet vota in Congregatione Sanctissimi Redemptoris nuncupata, iuxta istam sententiam sequentia valent: Vota in Congregatione Sanctissimi Redemptoris ante annum 1749 nuncupata erant simplicia, tamen privata; item valet de votis post annum 1749 emissis, quum vota simplicia Congregationum demum anno 1900 evasissent publica, atque religiosa.

35. - *Sententia secunda*: Character publicus tribuitur votis religiosis. Vota religiosa sunt vel sollemnia vel simplicia (uti in Societate Jesu, in Ordinibus Militaribus et aliis) (101). Ergo, etiam vota simplicia possunt esse publica, ac sunt reapse publica, si nomine Ecclesiae acceptantur a competente Superiori ad hoc deputato. Ait ad rem Gambari (102), quod paulatim notio clarior evasit voti simplicis non privati sed publici atque insuper propugnat sententiam, quod vota simplicia, quae cum approbatione pontificia nomine Ecclesiae a Superioribus competentibus acceptantur, sunt publica, attento tali charactere publico vota simplicia in casu muniuntur eisdem sanctionibus ac vota sollemnia (103).

(98) GAMBARI, *op. cit.*, 303 s.; item dicendum de saeculo XIX. *Ibid.*, 493, 498 s.

(99) LARRONA, *art. cit.*, in *Comment. pro relig. et mission.* 32 (1953) 176; cfr etiam articulum eiusdem auctoris in eodem *commentario* 2 (1921) 207 s.

(100) Cfr exempla supra I, n. 2; II, n. 23.

(101) MOTTA, *art. cit.*, 269 s.; GUTIÉRREZ, *art. cit.*, 284; GAMBARI, *op. cit.*, 246-266. OLIVARES, *op. cit.*, 199 s., tamen clare affirmat vota simplicia Jesuitarum fuisse minime publica, sed, sub luce hodiernae iurisprudentiae, ab Ecclesia aliquomodo recognita ideoque non mere privata. Ceterum de votis in Societate Jesu emissis cfr Bullas Gregorii XIII (1572-1586) *Quanto fructuosius* (1 II 1583) et *Ascendente Domino* (25 V 1583), de quibus documentis fusius tractat OLIVARES, *op. cit.*, 115-130, 207-218; 236-242. Cfr. etiam supra notam 93 et infra notas 120 et 122.

(102) GAMBARI, *op. cit.*, 304-307.

(103) Afferuntur exempla: vota Doctrinariorum ab Alexandro VII anno 1653 tali modo tractata sunt. Item eodem saeculo XVII Bethlehemis concessa sunt vota simplicia,

Sed admittit citatus auctor (104): initio saeculi XIX Romana Curia excludit characterem regularem et religiosum ab emittentibus vota simplicia quando quaestio formaliter proponebatur (105). Tamen Congregationes votorum simplicium praesertim si presbyteris constant, rarius saeculares dicuntur. Loco vocis « saecularis » persaepe adhuc bentur termini in usu pro regularibus; non raro religiosi vocantur (106). Redemptoristae saepius religiosi et regulares dicuntur (107). Ideo per concessionem Constitutionum necnon votorum sectatores consiliariorum evangelicorum in sodalitatibus votorum simplicium acquirunt statum publicum in Ecclesia, quae ipsorum vota nomine Dei acceptat et Altissimo affert tamquam actus cultus publici, nam eiusmodi vota paulatim induunt naturam voti publici (108).

Gambari argumentum suum sumit ex verbis « coram Ecclesia, acceptata a Superiori ». Et ait (109): « Ex istis notis legitime concludi potest quod vota emissa in Institutis votorum simplicium, ut talibus approbatis, praesertim si a Romano Pontifice, in duebant characterem publicum... Concessio votorum ex parte Romani Pontificis quid efficit nisi elevet ad characterem publicum? ...Dubia quae legitime poterant existere, analizando vota cuiuscumque Instituti tolluntur a solemini declaratione S.C.E.E.RR. diei 11 aug. 1889 (110) in qua vota quarundam sodalitatum dicuntur privata, dum vota aliarum congregationum publica agnoscantur... (Nam) per decretum S.C.EE. et RR. diei 11 aug. 1889 Instituta votorum simplicium in duae classes distincta sint, i.e. in congregaciones religiosas et in pias fidelium societates, 'quae consilia evangelica' sequuntur 'et caritatis officia maiori libertate' obeunt, a quibus per temporum nequitiam religiosae familiae aut pene aut omnino prohibentur; ad hunc finem, istarum membra 'nullum eiusdem instituti signum pree se ferunt, quinimmo student occultare tam Institutum quam eius naturam'. Utrumque genus Institutorum approbationem S. Sedis sortitur ».

Ex istis deliberationibus Gambari (111) relate ad Congregatio-

---

non sollemnia, sed coram legitimo superiore emittenda. Attamen de charactere publico talium votorum (sensu iuridico) nulla fit mentio in documentis officialibus ecclesiasticis.

(104) GAMbari, *op. cit.*, 512-514.

(105) Cfr supra I, 2; II, 23.

(106) Exempla apud GAMbari, *op. cit.*, 514 s.

(107) Cfr Bullam *Regularium Congregationes* diei 22 VI 1824. *Ibid.*, 514.

(108) *Ibid.*, 507.

(109) *Ibid.*, 489, 562-564.

(110) Decretum *Ecclesia catholica* diei 11 VIII 1889, apud VERMEERSCH, *op. cit.*, II, Brugis 1909, 67 s. In isto decreto citatur sequens decisio S. Congregationis Episcoporum et Regularium de die 21 VI 1889: « Sacra Congregatio, quando laudat vel approbat huius-

nem Ss. Redemptoris expresse sequentia affirmat: « Ante interventum auctoritatis ecclesiasticae facile est statuere naturam votorum quae tantum auctoritate privata introducta fuerunt (112)... Vota paupertatis, castitatis et oboedientiae emissa a S. Alfonso et eius sociis anno 1743 omnino privata dicenda sunt. Causa beatificationis Servi Dei Sarnelli (113) occasionem praestitit Postulatori causae determinandi naturam illorum votorum quae pontificiam approbationem praecesserat. Promotori fidei (114) videbatur Januarius Sarnelli, cum non emiserit vota, non posse considerari tamquam sodalem Congregationis SS. Redemptoris; Postulator respondit declarando naturam votorum illo tempore. In primis dicit Januarium Sarnelli non potuisse vota emittere in manibus S. Alphonsi (115). 'Ac ne tenebatur quidem Januarius id temporis vota emittere in manibus Episcopi Falcoja aut aliorum. Nam semper considerandum est quaenam tunc esset Instituti, imo votorum, natura quum primum mense julio a. 1742 (116) nuncupata sunt. Quippe quae non solemnia sed simplicia erant... vota, quae anno 1742 mense julio a S. Alphonso eiusque sociis nuncupata sunt, erantne simplicia publica? Minime umquam. Nondum enim Instituti Redemptoriani regulas Apostolica Sedes probaverat;... Non Ordinarius Episcopus dioecesanus, cui S. Alphonsus et Sarnelli erant obnoxii, vota, quae Ciorani edita sunt exceperat: sed Falcoja Stabiarum Episcopus. Non erat Cioranum oppidum Ordinario dioecesano S. Alphonsi et Sarnelli Episcopi subjectum, quippe cum in judisdictione Salernitanae dioecesis positum esset. Contra S. Alphonsus et Ven. Sarnelli adhuc Neapolitano Archiep. subiecti erant' (117). Satis clare

modi Instituta, etiam sub expresso Congregationum nomine, ea intendit laudare aut approbare, non quidem uti Religiones formales votorum sollempnium, neque etiam ut formales seu veras religiosas Congregationes simplicium, sed tantum uti pias Sodalitates, in quibus praeter alia quae iuxta hodiernam Ecclesiae disciplinam desiderantur, nec religiosa professio proprie dicta emititur, sed vota, si quae fiant, privata censentur, non publica nomine Ecclesiae a legitimo superiore acceptata ».

(111) GAMBARI, *op. cit.*, 367-370.

(112) Cfr etiam S. ALFONSUS, *op. cit.*, IV, 1 ad 3.

(113) Venerabilis Januarius Sarnelli, unus ex prioribus sociis S. Alfonsi, obiit die 30 VI 1744, aetate 42 annorum.

(114) Novae animadversiones, n. 21.

(115) *Sacra Rituum Congregatio, Neapolitana, beatificationis et canonizationis Ven. Servi Dei Januarii Mariae Sarnelli, sacerdotis e Congregatione SS. Redemptoris*. Nova positio super virtutibus, Romae 1906. Responsio ad novas animadversiones, pp. 125-126.

(116) Error chronologicus provenit ex eo quod in nn. 239-243 postulator sequitur Tannoia (cfr supra notam 30).

(117) Postulator textus (ex A. M. TANNOIA, *Vita ed Istituto di S. Alfonso M. de Liguori*, Torino 1877, lib. II, cap. XIV) afferit quibus demonstratur dependentia ab Archiepiscopo Neapolitano.

apparet quaenam fuerit natura votorum post pontificiam approbationem in... Congregatione Ss. Redemptoris. Ipsa solemnis pontificia approbatio et confirmatio congregationis et constitutionum in quibus omnino sanciebatur obligatio emitendi vota, in religione emitti solita, non tantum affirmabat hanc praxim secure sequi posse, et Deo gratam fore, sed etiam de facto conferebat Superioribus potestatem haec vota admittendi nomine Dei et Ecclesiae nempe, vota publica reddebat. Sicut in approbatione Ordinum regularium numquam dicitur expresse quod datur potestas accipiendi vota nomine Pontificis, sed simpliciter approbatur religio cum votis solleminibus, ita in casu approbationis congregationum cum votis simplicibus... Unde etiam vota in Congregatione Ss. Redemptoris post Breve anni 1749 publica evaserunt ».

Conclusio ex ista altera sententia extrahi potest sequens: Vota ante annum 1749 in Congregatione Sanctissimi Redemptoris emissar erant privata. Tamen votis post annum 1749 emissis character publicus attribuendus est, quae attributio paulatim magis ac magis ab Ecclesia agnoscebatur usquedum denique anno 1900 sodales Congregationum qua veri religiosi eorumque vota publica agnoscebantur.

36. - *Sententia tertia*: Vota simplicia ante annum 1900, approbante auctoritate ecclesiastica in Congregationibus emissar non erant mere privata atque non erant publica, sed eis attribuendus est character votorum simplicium ab Ecclesia agnitorum seu recognitorum. Vota autem sine approbatione ecclesiastica in Institutis emissar erant quidem simplicia, tamen privata.

Argumentum sumitur e charactere iuridico votorum, quae hodie in Societatibus in communi viventium sine votis (publicis) (118) atque in Institutis Saecularibus (119) nuncupari solent. Vota in memoratis Institutis emissar nec sunt mere privata nec sunt publica, sed sunt ab Ecclesia probata, recognita, agnita (120). Sodales memoratorum Insti-

---

(118) ROTHOFF, *op. cit.*, *passim*; TABERA, *op. cit.*, 351; CREUSEN, *op. cit.*, 781; CIC, cc. 673-681.

(119) J. BEYER, *Gli istituti secolari*, Roma 1964, *passim*; PRUS XII, *Provida Mater*, de die 2 II 1947 (AAS 39 [1947] 114-124). *Primo feliciter* de die 12 III 1948 (AAS 40 [1948] 283-286); *instructio S. Congregationis Religiosorum Cum Sanctissimus* de die 19 III 1948 (AAS 40 [1948] 293-297); *decretum Perfectae caritatis* de die 28 X 1965 (AAS 58 [1966] 702-712).

(120) Vota simplicia illius temporis non appellari possunt *vota privata* in sensu hodierno. Id quod vox *votum simplex* illo tempore expressit, hodie aliquomodo terminis *votum agnatum*, *votum recognitum*, *votum approbatum*, *votum non-publicum* (quod non idem est ac votum privatum) circumscribi potest. Terminologia ista non invenitur in CIC, sed elaborata est a iurisprudentia. Haec terminologia orta est respectu habito votorum in Institutis Saecularibus et Societatibus sine votis (publicis) emissorum. Status iuridicus ac

tutorum — uti ante annum 1900 sodales Congregationum — minime sunt religiosi ideoque nec vota religiosa nec vota publica emittuntur, quum ista criteria seu attributa nunc tantummodo votis vel sollemnibus vel simplicibus sint reservata.

Quam ob rem, ad quaestionem, quae initio huius dissertationis posita fuit quoad naturam votorum in Congregatione Sanctissimi Redemptoris ante annum 1749 emissorum iuxta istam tertiam sententiam respondendum est: Natura votorum ante annum 1749 emissorum et natura votorum post dictum annum in Congregatione emissorum fere eadem est, quum status iuridicus (una cum natura votorum) Congregationum demum Constitutione Apostolica « Conditae a Christo » Leonis XIII, die 8 decembris 1900 lata, mutatus esset. Discrimen tamen adest. Ante annum 1749 non habebatur auctoritas approbans, at vota sic emissa erant simplicia; tamen Congregatio qua talis considerabatur aliquomodo iuris dioecesani, inquantum nempe collegia de auctoritate Ordinariorum locorum fundata erant atque apostolatus missionalis sub eadem auctoritate exercebatur (121). Vota simplicia vero post annum 1749 in Congregatione Ss.mi Redemptoris nuncupata erant iuris pontificii seu auctoritas approbans et agnoscens erat Summus Pontifex. Semper tamen agebatur de votis simplicibus non-publicis, non-religiosis, tamen agnitis, recognitis, approbatis (122).

37. - Id, quod resultat e tribus sententiis, sequenti modo schematice ad meliorem dilucidationem exhiberi potest:

#### PERIODUS I.

*Usque ad annum 1900 CSSR non est Religio nec Ordo; sed pertinent ad statum consiliorum evangelicorum. Gaudent tamen variis privilegiis regularium.*

1732 Institutum oritur et existit sine formali approbatione ecclesiastica, et sine ulla votis. Sodales sunt saeculares, nec sunt regulares nec religiosi in sensu iuridico.

---

natura votorum Congregationum ante annum 1900 magnopere aequiparari potest cum omnibus illis Institutis, in quibus nec vota sollemnia nec vota simplicia nuncupantur, sed reapse vota emittuntur approbante Ecclesia. - De subdivisionibus, uti hodie in usu sunt, cfr. GUTIÉRREZ, *art. cit.*, 277-329, imprimis 286 ss.; OLIVARES, *op. cit.*, 199 s. Cfr etiam LARRAONA, *art. cit.*, in *Comment. pro relig. et mission.*, 2 (1921) 207 s. et 32 (1953) 176; TABERA, *op. cit.*, 351; BERTRAMS, *op. cit.*, 145.

(121) Quod patet ex quodam documento pontificio relate ad indulgentias, de die 29 II 1744. Cfr DE MEULEMEESTER, *op. cit.*, 45. Cfr etiam diploma ab Archiepiscopo Salernitano anno 1735 sodalibus quoad foundationem in Ciorani concessum (cfr notam 41).

(122) Exacte eodem modo explicat OLIVARES, *op. cit.*, 199 s. naturam iuridicam votorum simplicium in Societate Jesu illis temporibus nuncupatorum.

- 1735 Archiepiscopus Salernitanus concedit sodalibus quoad fundationem in terra Juranorum (Ciorani) diploma, in quo legitur: ibi « Deo laudes persolvere ac propria Statuta a Nobis revisa et approbata adimplere tranquillo famulatu possitis ». Sodales, adhuc sine ulla votis, sunt saeculares, nec sunt regulares nec religiosi.
- 1740 Die 21 VII emittitur iuramentum perseverantiae. Conditio iuridica sodalium non mutatur.
- 1743 Emittuntur vota simplicia (sine interventu auctoritatis ecclesiasticae). Sodales sunt saeculares, nec sunt regulares nec religiosi in sensu iuridico. Considerabantur religiosi in sensu theologico seu pertinentes ad statum consiliorum evangelicorum.

*Sententiae I-II.* Natura votorum est omnino privata, cum non essent nomine Ecclesiae acceptata a Superiore ad id deputato.

*Sententia III.* Natura votorum est non-publica. Vota sunt de facto ab Ecclesia (ab Episcopis) agnita.

- 1749 Institutum est iure pontificio approbatum. Sodales sunt saeculares, nec sunt regulares, nec religiosi in sensu iuridico; considerabantur qua religiosi in sensu theologico, i.e. sunt in statu consiliorum evangelicorum. Nuncupantur vota simplicia.

*Sententia I.* Natura votorum est privata.

*Sententia II.* » » » publica.

*Sententia III.* » » » non-publica, non-religiosa, sed ab Ecclesia agnita, recognita, approbata.

#### PERIODUS II.

*Post annum 1900, usque ad hodiernum diem, CSSR est Congregatio religiosa clericalis iuris pontificii et Religio.*

- 1900 Vota simplicia publica religiosa iuris pontificii emittuntur. Sodales sunt religiosi in sensu iuridico et theologico; vero non sunt regulares.

#### IV. - *De solutione proponenda*

38. - Tempore, de quo agitur, habebantur quoad forum externum vota sollemnia et vota simplicia. - Vota in Congregatione Sanctissimi Redemptoris emissae erant ab initio vota fori externi.

39. - Vota sollemnia semper erant publica. - In Congregatione Sanctissimi Redemptoris numquam vota sollemnia emittebantur.

40. - Vota simplicia, si sine ulla approbatione ecclesiastica nuncupantur (123), sunt privata. - Vota in Congregatione Sanctissimi Redemptoris ante annum 1749 emissā tali modo consideranda sunt.

41. - Vota simplicia, quae in Instituto ab auctoritate ecclesiastica approbatō emittebantur atque sic « nomine Ecclesiae » acceptata sunt, iuxta diversas sententias (124) diversimode classificantur: *privata* (125), *publica* saltem de facto (126), *non-publica, recognita, agnita* (127). - Vota simplicia in Congregatione Sanctissimi Redemptoris emissā ab anno 1749 usque ad annum 1900 istam qualitatem iuridicam habebant.

Quoad classificationem quamlibet sententiam ex tribus propositis sequi licet, quamvis ultima, quae ex statu iuridico votorum in Institutis hodiernis emissorum — quorum status valde similis est statui iuridico Congregationum ante annum 1900 — sumitur, magis placet.

42. - Vota simplicia post annum 1900 (itemque post Codicem Iuris Canonici) in Congregationibus emissā sunt publica. - Eapropter vota simplicia, quae nunc in Congregatione Sanctissimi Redemptoris nuncupantur, sunt publica.

43. - Quapropter, si in introductione ad *Constitutiones et Statuta Congregationis Ss.mi Redemptoris a Capitulo Generali XVII exarata* (128) sermo est de « votis religiosis privatis » (ante 1749) atque de « votis religiosis publicis » (post 1749), hoc sustineri nequit.

Textus, de quo agitur, ut sit tam historice quam iuridice correctus, sic sonet: « Quare totis viribus adlaboravit ut Congregatio diffundatur et consolidaretur ope tum voti perseverantiae (1740) tum votorum simplicium (1743), et ut ab Ecclesiastica Suprema Auctoritate rite agnosceretur; quod tandem obtinuit cum Summus Pontifex Benedictus XIV, die 25 februarii 1749, tam Institutum quam eius Constitutiones et Regulas sollemniter approbavit, a quo tempore Confratres vota simplicia ab auctoritate pontificia agnita emiserunt. Quae vota simplicia Constitutione Apostolica « Conditae a Christo » Leonis XIII (die 8 decembris 1900 lata) characterem votorum religiosorum publicorum obtinuerunt » (129).

(123) In Instituto, quod quidem de facto, id est sine interventu competentis auctoritatis ecclesiasticae existit, vota ibi emissā non acceptantur *nomine Ecclesiae*.

(124) Cfr supra nn. 34-36.

(125) Cfr supra n. 34.

(126) Cfr supra n. 35.

(127) Cfr supra n. 36.

(128) Cfr supra notam 1.

(129) Haec ultima phrasis omitti potest, si ita magis placeat.